GVILIELMI ALEXANDRI

TECHNOMETRIA,

Omnium & singularum
Artium fines adæquatè
circumscribens.

LONDINI,
Excudit MILO FLESHER.
MDCXXXIII.

In TEXNOMETPIAN Magni Theologi & Philosophi D.D.G. AMESII.

HVc usq; turpi nubilo pressum caput
Interq; cunas artium pectus rude
Vincti tenemus. Ipsa perpero viam
Nisu, sciendi cluserat scientia:
Et tota dispar, membra ducebat suis
Adversa membris, invicemq; limites
Injurioso quaq; stringebant pede.
Nunc illa rerū monstra ridemus, chaos
Cæcumq; pondus, sole perfusi novo.
Litem diremit artifex viri manus,
Et fida soler s jura singulis dedit
Labos Amesi, *Proteumq; dextera*
Ligans potente, ferreaq; compede,
Stupere cunctis, scire vindicat sibi.

Accinuit

REINERVS VOGELSANGIVS.

GUILIELMI AMESII
TECHNOMETRIA.

THESIS PRIMA.

ARS est idea διαθεξίας regulis catholicis methodicè delineata.

2 Etsi vocabulum artis ἢ ἰδέων sit, variáque variis significet, in quam tamen partem, & in qua significatione à nobis accipiatur manifestum est.

3 Est idea, non Platonica in certo quodam terræ angulo existens, sed exemplar, ut Plautus vertit, aut exemplaris delineatio seu formula in artificis mente ante actionem ad actionem efformata, ut eam repræsentet & repræsentando regat.

4 Omnis scilicet, non ex casu agens, primo propter formam agit, quod fieri nequit, nisi eam habeat per similitudinem in se præexistentem. Nimirum vel secundum esse naturale, si sit agens naturaliter, vel secundũ esse intelligibile, si sit agens ex consilio, qualiter ex arte agitur. Atque illa formæ similitudo vocatur idea, ut similitudo domus in mente Architecti præexistens vocatur idea domus.

5 Et idea potius quam habitus, doctrina, disciplina, facultas, liber, systema, virtus; quia idea generalē artis essentiam propriissimè & proxime exprimit, omnia quæ de ea verius dicuntur comprehendens, & omni omninò arti conveniens.

6 Habitus equidem ars quoque dici potest, vel quia habetur, vel quia habentem se habilem & potentem ad operandum facit, quo Germanicum kunst à können posse descendens, collimat. Verum cum neutrum horum artis essentiam constituat, sed vtrumque eam constitutam sequatur, id, ut adjunctum; hoc, ut effectum, habitus genus artis minus convenienter statuitur.

7 Dici potest doctrina, qua docetur; disciplina quà discitur; facultas, qua faciles ad agendum reddit; liber aut systema, qua literis pluribus inter se compositis, olim libro seu cortici inscriptis, calamo aut typis exprimitur. At neque hæc primò de artis essentia sunt, sed eam in & pro hominibus sive constituendam antecedunt, sive constitutam consequuntur.

8 Virtus autem dici nequit, nisi quà vel doctrina virtutis est pars cujusdam artis, vel rei cujuslibet scientia Græcis virtus dicitur quia hæc ad actionem virtuosam rectius exercendam non parum conducit,

ducit, vnde etiam intellectuales virtutes vulgo appellatæ. Sed quamvis hæc etymi fortassis sufficiens ratio sit illis, qui sive ἀπὸ τῆς ἀρετῆς sive ab ארה fortis fuit, à quo ipsa vox ἀρετὴ, deducunt artis vocem, nobis tamen generis aut essentiæ generalis ratio esse haud potest.

9 Et est idea εὐπραξίας habens εὐπραξίαν tum pro objecto, circa quod repræsentandum versetur, tum pro fine, ad quem repræsentando dirigendum tendat.

10 Quod ab aliis mens & voluntas objectum artis, & utriusque rectio aut directio finis ejusdem statuitur, id minus accuratè fieri ipsorum addita verba produnt, quibus mentem in cognitione, voluntatem in actione dirigi aiunt. Hinc enim palam est, cognitionem & actionem principaliter dirigi & objective, mentem vero & volũtaté non nisi subjectivè quatenus cognitio & actio in iis radicantur.

11 Quod postremum nec nos inficias imus, sed mentem & voluntatem eatenus ab arte dirigi, ac ejusdem subjectum esse, quatenus operationes artis in iis fundantur ultrò concedimus.

12. At rectio & directio non tam finis artis est, quam pars essentiæ ejus generalis, ideæ scilicet in repræsentando & regendo absolute constitutæ.

13 Est autem δ' πραξία regularis agentis in agendo motus.

14 Hujus δ' πραξίας aptitudinem ars omnibus illis, quibus inest, secum affert. Cujus aptitudinis usus etsi in hominibus non usque adeo perfectus est, tùm ob ipsam artium in his imperfectionem, tùm ob imbecillitatem virium humanarum ad agendum requisitarũ; δ' πραξία tamen propterea finis artis esse non desinit.

15 Porro hæc δ' πραξία ut & idea eius ac ars ipsa, quamuis in Deo aut exercitio Dei existens sit actus unicè unus & simplicissimus, quia tamen in opere exercito, rebus nempe creatis, quæ omnes concretæ & divisibiles sunt, quasi ex refractione rationis multiplex & varia evadit, multiplicáta ac diuisa á rationis oculo percipitur, & ab homine exercetur.

16 Divisa, inquam, 1. in Genesin & Analysin tanquam partes eam generaliter integrantes, & reciprocationem motus ejus ad vivum exprimentes.

17 Genesis enim est progressus regularis á simplicibus ad composita, hæc ex illis constituendo.

18 Analysis est regressus regularis. á compositis ad simplicia, illa in hæc resolvendo.

19 Vterque hic motus tam progressus seu

ſeu Geneſis, quàm regreſſus ſeu analyſis eſt in διαιρεσία adeò ſtricte reciprocus, ut regulariter 1. ubicunque alteruter eorum deſinit aut incipit, ibi alter incipiat aut deſinat, 2. eadem veſtigia uterque premat.

20 At Geneſis illa, quæ ad analyſin ſequitur, dicitur peculiari nomine Imitatio, quæ propriè hujus non alterius eſt loci, quoad generalem ſuam naturam.

21 Quemadmodum ipſa Geneſis & Analyſis in genere alibi, quàm hic de arte in genere doceri nequit, ſiquidem Analyſeos & Geneſeos ſpecialis doctrinam quælibet ars ut perſequitur, ita cum exordio ſuo orditur.

22 Dividitur 2. διαιρεσία in generalem & ſpecialem. Non dicimus in genus & ſpeciem, quaſi alter eſſet alterius genus aut ſpecies, tam illa enim quam hæc eſt ſpecies διαιρεσεως ut communis generis. Sed generalis eſt alia quoad uſum ſuum, quem habet in omnibus aliis διαιρεσίαις & in ſeipſa, unde concreſcentem eam dicimus cum omnibus aliis & cum ſeipſa, ſpecialis alia, cujus uſus ſpecialior eſt & ſic late ſe non extendit.

23 Εὐδιαιρεσία generalis eſt διαλέγεσθαι bene diſſerere Ciceroni, h. e. rationes rerum bene inventas bene diſponere.

24 Hæc cum omnibus aliis εὐπραξίαις ac cum seipsa in usu concrescit, & quidem ex necessitate absoluta, ita ut reliquæ εὐπραξίαι sine ea nullatenus scire, esse, aut exerceri possint. Hinc recte vocatur καθολικωτάτη.

25 Nam licet præter hanc sint aliæ duæ εὐπραξίαι generales, loqui nimirum & dicere, quas hujus imago recepta ab homine in homine ad hominem parit. Quia tamen hæ non nisi ex hypothetica necessitate cum reliquis εὐπραξίαις concrescũt, quatenus scilicet illæ ab aliquo cognitæ aliis communicandæ, cum priore illa usus generalitate certare nequeunt.

26 Atque inde talis quidem subdivisio institui potest, qua εὐπραξία generalis dicatur vel magis vel minus talis; magis, ut disserere, minus ut loqui & dicere. Sed ut nihilominus differentia illa utrinque observetur, quæ inter dominam & ancillas ejus esse & observari debet ac solet. Hæ enim illi, ad melius esse ipsius in hominibus saltem, subserviunt & ancillantur.

27 Specialis εὐπραξία concrescit in usu vel ex parte tantùm cum quadam alia, vel plane non, unde in minùs & magis talem dividi potest.

28 Specialis εὐπραξία minus talis est bene

bene menſurare; magis talis eſt vel bene naturare, vel bene vivere.

29 Speciales dicuntur hæ ἀπραξίαι quia non cum omnibus aliis in uſu concreſcunt ad differentiam earum, quæ ſic concreſcunt, atque ideo generales vocantur.

30 Vna vero earum dicitur minus talis, h. e. minus ſpecialis, nimirum bene menſurare, quia cū aliqua ἀπραξία nempe bene naturādi, ex parte, quoad dimēſiones ſcilicet corporum, concreſcit. Reliquæ magis tales, quia cū nulla ἀπραξία ulla ex parte in uſū concreſcunt.

31 At naturare forſan non eſſe ἀπραξίαν artis quīdam exiſtimabūt ante dictorum immemores, quia humanas vīres excēdat. Quibus id, inde repetitum, ingerendum, quod naturandi actum homini omnino detrahere, reclamantibus & agricolarum & hortulanorum & opificūm & aliorum quam plurimorum operibus per imitationem naturatis, non ſuſtinebunt. Quod vero hic naturandi actus in homine tanta cum imperfectione hactenus cōjunctus fuerit, quanta vix in alia ulla ἀπραξία, niſi forte in bene vivendo, obſervata eſt, id inde eſſe, quia & ars ejus omnium hucuſque fuit imperfectiſſima in hominibus, & vires adiſtum actum

exercendum requisitæ in iisdem maximè desiderentur.

32 Porro cum omnem motum necessariò & immediate sequatur aliquid ipso factum s. aliqua res, ut Logici vocant, illo motu facta; motum artis seu διαθεξίαν qualemcunque non potest non res motu illo facta, seu διαπόμενον sequi.

33 Vnde etiam ex Aristotelis mẽte omnis disciplina erit ars, quia omnis disciplina est ἕξις μετὰ λόγου ποιητικὴ opus post se relinquens. Habent enim, ut monitũ, singularũ disciplinarũ διαθεξίαι sua διαπόμενα quemadmodum id quoque inductione facilè potest reddi manifestum. Differere & disciplina differendi relinquit post se argumenta inventa & disposita; Loqui, orationem congruam; Dicere, orationem ornatam; Mensurare, mensuras; Naturare, naturas; Vivere, vitam.

34 Qui vero opus externum, & in sensus incurrens ab arte relictum volunt, illi primò πλὴν id solùm significare vere demonstrent, ac sic Principem suum Aristotelem secum concilient, antequam, nobis id persuadebũt. Quod non fiet adducendo quædam loca Aristotelis, ubi opus artis in sensus incurrens dicitur, cujusdam enim immò plerarumque artium

etiam

etiam noſtrarum opus in ſenſus incurrere non diffitemur. At hinc quod omne omnis artis opus in ſenſus incurrere debeat, aut quod πόησις opus in ſenſus incurrens ſolummodò ſignificet, nulla omninò eſt conſequentia.

35 Quamuis autem διαπρόμεια inter ſeſe & á ſeſe ſint diſtincta, quemadmodum ipſæ διαιρέσεις earũque præcepta, uſus tamen eorum communis eſt & confuſus, ut qui ea conglutinat, ac in quo ars poſterior, & præceptum poſterius ſemper utitur prioris opere. Sic in hoc exemplo; eadem menſura, quâ vos menſuratis, vobis remetientur; communis & confuſus diſtinctorum παραπομένων Logici, Grammatici, Rhetorici, Mathematici, Theologici; ſic in hoc, Vinum novum in vtres recentes inijciendum, ubi præterea Phyſici παραπομένου uſus quoque eſt.

36 Sicut autem uſu confunduntur παραπόμενα, ita ſpeculatione abſtrahũtur & ſeparantur: dum mediante hac quodlibet eorum ad ſuam diſciplinam defertur. Quemadmodum in artium delineatione fieri conſequens jam eſt, ut ob oculos ponamus.

37 Idea hæc διαιρέσεως delineata eſt non uno, ſed pluribus delineamentis, non uno quippe, ſed pluribus actibus ſingulæ

gulæ εὐπραξίαι absolutæ à Deo cōcipiuntur, ut suprà, & ab homine absolvuntur.

38 Delineamenta hæc quia fideliter repræsentant εὐπραξίαν suā & absque ullo fuco, dicuntur ἀξιώματα fide digna; quia εὐπραξίαν insequentē regunt, regulæ; quia regunt præcipiendo instar edictorum prætoriorum, præcepta; quia secundum ea & actuum, & actorum judicium ac examen instituitur κριτήρια sive Canones; quia πραττόμενα projecta in iisdem videntur, & apparent, problemata, theoremata, φαινόμενα.

39 Nos regulas vocare maluimus, quia de ideæ prima essentia est, & vim artis maximè notam maximè exprimit.

40 At hæ regulæ, cùm primitùs fuerint ac sint in Deo verissimo, justissimo, sapientissimo, non possunt non esse verissimæ, justissimæ, sapientissimæ, hoc est uno verbo, catholicæ.

41 Quinimo cùm certò & infallibiliter debeant (quo recte respiciunt illi, qui ab arce artem dictam volunt, quoniam instar munitissimæ arcis omnes errores ab εὐπραξίᾳ arceat) non ex parte saltem veræ, hoc est dubiæ, multò minus injustæ, aut insipientes ulla ratione esse possunt. Hinc delineatam hanc ideam regulis Catholicis diximus.

42. Ve-

42 Veriſſimæ autem erunt regulæ, ſi eorum principia legi veritatis καθ' παντὸς ſint conſona, id eſt, talia, ut, cum inter ſe axiomaticè componuntur, conſequens de omni antecedente verum ſit. Quæ enim non de omni antecedente conſequens enunciant, pro diuerſitate aſſumti antecedentis tam falſa quam vera ſunt. ac ſic per ſe, ac in ſe neque vera neque falſa.

43 Horum principiorum, quæ nihil aliud ſunt, quam ſingularia illa ſingulorum, eſt Intelligentia. Qui enim, quod in ſiugulis eſt ſingulare percipit, hunc intelligentem dicere conſuevimus.

44 Hæc intelligentia in Deo eſt Archetypa, in homine Ectypa.

45 Quippe, cum Deo ab æterno immediatè inſit nullatenus adveniens aut impreſſa, ſe verò exprimens per quãdam quaſi refractionẽ in rebus creatis & gubernatis, quæ ſunt intelligentiæ noſtræ typus, ex quo ea colligitur, verè, ut eſt in ipſo, eſt ἀεὶ καθ' ὅλου καὶ παντὸς καὶ πανταχοῦ.

46 Atque hinc eſt, quod Theologia dicitur, ars autem vniverſim ſumta dicenda eſt, quatenus in Deo exiſtit, Archetypa, quia videlicet nihil eſt aliud quã æterna ejus ſapientia rerum creatrix & gubernatrix.

47. Etſi

47. Etsi autē ars hominis etiam quarundam rerum, & sic alicujus typi causa & principium est per imitationem. Cum tamen principium neque primi neque omnis typi sit, ut intelligentia aut ars Dei, sed ipsa, qualiscunque fuerit, typum aliquem pro principio habuerit, Ectypa potius quam Archetypa dicitur.

48 Typus scilicet in quo omnis ars resplendet, & ex quo ab homine principia ejus, quæ intelligentiam humanam faciunt, colliguntur, sunt res primario quidem a Deo creatæ & gubernatæ, secundario verò ab homine simili modo factæ aut fictæ.

49 Hinc Græci artem τέχνην vocant a τεύχειν fabrico, quia nempe fabricæ rei imprimitur, & ex ea tanquam typo suo elucet.

50 Hæ res, quatenus sunt, dicuntur *Ens*. h. e. si resolvas, quod est; quatenus finguntur esse seu possibiliter, *Ens fictum possibile*, seu impossibiliter, *Ens fictum impossibile*. Quamuis id quod fingitur esse etiam *Non-Ens* dicatur, quatenus non est verè, & *Ens rationis puræ aut raciocinantis* quatenus in sola ratione aut intellectu alicujus est & existit. Quemadmodum aliàs quicquid non est, *Non-Ens* dicitur, & si ita non sit, ut id esse plane repugnet, *Non Ens negativū*;

si ita

ſi ita, ut aliquando eſſe poſſit, *Non-Ens potentiale aut Ens potentiale* ſi ita ut eſſe aliquãdo debuerit *Non-Ens privativum.*

51 Nomine harum appellationum, ut & aliarum quarumcunque, quæ rebus, quatenus ſunt, impoſitæ videntur, Metaphyſicæ nihil certe laudis debemus, licet aliquid vituperii, quod falcem in alienam meſſem intromiſerit, & quod Lexicis etymologicis proprium eſt ſibi injuſtè vendicaverit. Niſi forte pro Lexico Logico, aut Philoſophico in genere, ſed imperfectiſſimo, haberi velit.

52 At ſi appellationes has aliaſve ſimiles non qua tales, ſed quoad rationes ſuas ſibi deberi contendat, in Scyllam profecto incidet. Tum enim ei Logica meritò dicam ſcribet, ex qua ſola rationes harum & quarumcunque generalium Entis appellationum deſumuntur.

53 Quod enim rem aut ens aliquod cognoſco aut dico eſſe unum, verum, bonum, perfectum, prius, poſterius, ſimul, univerſale, ſingulare, cauſam, effectum, poſſibile, neceſſarium, contingens, facile, difficile, duratione & loco veſtitũ, menſuram aut menſuratum, idem cum alio ullo modo, diverſum, relatum, apparens, complexum, oppoſitum; id ſolùm per Logica inventionis & diſpoſitionis præ-

cepta

cepta fit, quæ has & similes affectiones rerum cognoscere docent, licet pleræque saltem non omnes hæ voces in ea conspiciantur.

54 An verò Ens aliquod habeat naturam sive perse subsistentem, sive alii inhærentem h. e. Substantia aut accidens sit, id ea disciplina monstrat, cujus est totam rerum naturam tradere, Physicæ enim; sicut id cum eo quod præmisimus ex resolutione Entis, quatenus est Typus artis, quam continuo subjiciemus, cuivis facile erit videre.

55 Typus hic, quem Res ipsas aut Ens ipsum esse diximus, ex omnium artium principiis concretus est, quæ tum circa eum, tum in eo apparent & refulgent.

56 Circa typum vndique & ex omni ejus parte fulget ratio, relatio aut affectio rerum mutua, ut mediante ea res ipsæ ad intellectum nostrum deferantur, qui quicquid percipit, non aliter quam sub ratione & affectione quadam percipit. Hinc differendi principia.

57 Cum hac & in hac radicaliter quoque conspiciuntur appellationes rerum seu verba, utpote quæ à ratione aut affectione aliqua rei desumuntur, quo mediantibus iis res ab homine ad hominem deferantur, Hinc principia loquendi & dicendi.

58. In

58 In typo 1. videtur quantitas, quia res omnes primò materitatæ, ut sic primo statim à Deo differãt, & propterea quantæ. Hinc principia mensurandi.

59. 2. Naturæ, quia res secundò à se invicem distinctæ, ac potissimùm quidem per formam, quæ præcipua rerum Natura est. Hinc principia Naturandi.

60. 3. Finis, qui est bonitas illa universalis, gloria scilicet Dei, quæ in omnibus rebus spectatur, & ad quam eædem omnes spectant, ad eandem instar sagittæ alicujus directæ. Quod Platò intellexit, *qui nihil unquam sive morale, sive Dialecticum, aut Mathematicum, aut Physicum tractat, quin mox ad contemplationem culturaq; Dei summa cum pietate reducat.* M. Ficinus in proœmio theol. Plat. Hinc principia vivendi.

61 Omnia hæc typus rerum creatarum perfectissimè initio referebat, homini adhuc in Integritatis statu constituto facilè obvia. At postquam homo lapsus est, bonitas tum reliquarum creaturarũ, quæ propter hominem maledictioni & vanitati subjectæ sunt, tum ipsius hominis, in cujus conscientiâ præcipuè elucebat, erat enim cordi ejus inscripta, ita obscurata & obtenebrata est, ut non nisi pauciſſima, & quidem corruptissima ejus

principia ſuperſint Nobis ibidem conſpicienda.

62 Benignè tamen Deus ac ſapienter hic quoque Nobis conſuluit, dum deficienti ea in parte rerum typo Scripturas ſubſtituit, in quibus bonitatis, h. e. honeſtatis, pietatis, juſti & æqui principia perfectiſſimè revelavit.

63 Hinc incogitantes aut ingrati & modò non impii jure audiunt illi, qui in ſinu Eccleſiæ educati horum principiorum & obſcurationem in typo rerum, quam alias quiſque, proh dolor, per ſe in ſe ſat ſentit, & revelationem Novam in S. perdidicerunt, ab his tamen ad illum principia practicæ, quam vocāt, Philoſophiæ, & juris petitum confugiunt alioſque ſecum rapiunt.

64 Quod tacitè innuunt ipſi Ethnici, quos S. Scripturæ hac in parte præferūt, exemplo ſuo, quibus nimirum pudor non fuit principia bonitatis, quæ veriora deeſſe ſuis naturis ſentiebāt, ex Ebræorum ſive inter ſe, ſive alibi degentium Scripturis tum directè tum indirectè petere, ut hiſtoriis proditum eſt.

65 Atque hinc tot laudabilia honeſtatis veſtigia in ſcriptis eorum apparent, quæ propterea, non excuſſa manibus omnium planè optamus, modo S. Scripturis ſub-

ſubordinentur, & ad eas examinentur, non regula & Canon vitæ ſeu morum ac Iuris, neglectâ S. Scripturâ, ampliùs habeantur.

66. Reliqua principia præter bonitatem typus rerum adhuc perfectè ſatis refert, ſed non niſi indefeſsâ Analyſi interiora ejus penetrantibus, intimè videnda & colligenda.

67. Quin nec bonitatis principia in S. Scripturis revelata quis intimè cognoverit & perſpecta habebit, niſi factâ S. Scripturarum etiam ipſarũ Analyſi dextrâ, apertis ſimul à Spiritu S. oculis mentis ejus. Quod poſtremum hic quidem ſummè & abſolutè neceſſarium, ibi verò ad principia nimirum reliqua indaganda, non parum utile.

68. Analyſis S. Scripturæ perficitur Logicæ præceptis ritè applicatis.

69. Analyſis rerũ incoatur αἰσθήσει ſenſu, omnia ſive in ſe, ſive ratione effectorũ φαινόμενα & αἰσθητὰ: hoc eſt, apparentia & ſenſibilia ſine alterius intervẽtu apprehendente. Provehitur ἱστορία obſervatione ſenſu percepta eorumque incoatam cognitionem ſedulò notante & retinente. Perficitur ἐπαγωγῇ inductione, ſenſu ſæpe percepta & obſervatione retenta inter ſe ſeriò comparante, & certi quid inde con-

clu-

cludente, Confirmatur ἐμπειρίᾳ Experientiâ, Concluſa diu multumque volvente, revolvente, ac quavis occaſione data accuratè & ſolidè examinante.

70. Huc pertinent hiſtoriæ ſingularum artium tam Notativæ aut obſervativæ quam Inductivæ, quæ experimenta aut experimentalia vocantur. Quarum contexendarum modum D. Verulamius in Novo Organo præpingit, & exemplar tum ipſe, tum Plinius, & Ariſtoteles in hiſtoria animalium reliquerunt. Summi profectò uſus ad diſciplinas tum verius conſtituendas tum facilius intelligendas, & corrigendas, niſi Dictatoria Ariſtotelis Poteſtas & nimia illa Credulitas uſq; adeò prævaleret.

71. Ex hiſce jam 1. quis in ſingulis diſciplinis primus & præcipuus errorum, defectuum ac controverſiarum (ſtudiis literarum in eo ſtatu permanentibus nunquam finiendarum) fons, proclive eſt judicare, nimirum ante dictorum ad colligenda veriſſima principia neceſſariorum tantus neglectus.

72. Qui neglectus, quo major in Phyſicis, eo pluribus quoq; ipſa mendis ſcatet, ut vix ulla ejus materia ab iis libera ſit. Quia ſcilicet plerique ejus Myſtæ non ſaltem nulla ipſi experimenta rerum natura-

turalium faciunt, ex quibus aut veriora ejus principia colligerent, aut collecta examinarent & emendarent, ſed etiam ſcriptis veterum quorundam vix accuratis ita ſuperſtitioſe innituntur, ut ſacrilegium ab iis recedendo ſe commiſſuros, credant, licet manifeſta per alios hac ratione exquiſita & explorata veritas id ſummè ſuadeat. Quærentes quippe priùs quis, quàm quid dixerit.

73. Ex hiſce 2. veterum hoc in genere ſcriptis licet ſuus debeatur reſpectus & honos, quantus tamen debeatur palam fit. Nimirum ut recentiorum, cæteris paribus iis præ-non poſtponantur, cum oculi plus videant quam oculus, diem dies doceat, cogitationes ſecundæ primis ſint meliores.

74. Ex hiſce 3. Ethnicorum ſcriptis licet ſuus debeatur honos, quâtus tamen debeatur palam fit. Nim. ut Chriſtianorum, cæteris paribus, iis præ-non poſtponantur, ut quorum oculos divina gratia magis apertos eſſe magis conſentaneum eſt.

75. Ex hiſce 4. inter ipſos Chriſtianos Scriptores diſcrimen, quod habendum ſit, apparet. Nempe opera per cacoethem ſcribendi & philautiam enixa non tanti ſunt facienda, quanti ex ſincero veritatis

ritatis amore ab amicis Dei probitate vitæ se dæmonstrantibus profecta.

76. Ex hisce 5. in Theologia & Iurisprudentia si ullorum sententiis adhærere liceat in re valde obscura, Christianorum potius quam Ethnicorum, piorum quam impiorum etiam plurimorum adhærendum est.

77. Sic tamen ullius mancipia ne fiamus, sed sub liberæ veritatis vexillo militantes, eam ducentem, & ab hallucinationibus superiorum nostrorum, ut qui homines ad imaginem Adami etiam geniti sunt, avocantem liberè & animosè sequamur. Omnia probantes, quod bonum est retinentes, amicus Plato, amicus Aristoteles, at magis amica Veritas.

78. Principia porro verissima si juxta Legem Iustitiæ κατὰ τὸ αὐτὸ homogeneè s. essentialiter componantur, fiunt regulæ justissimæ. Vbi enim unicuique suum tribuitur ibi justissimè agitur.

79. Horum principiorum ita compositorum est Scientia. Causas quippe & essentias rerum nosse; quod tum ante compositionem in componente requiritur, & ex compositione, in verè eam cognoscentes exurgit; prima, verissimaque scientia est.

80. Sic autem cõposita principia talia

si

si juxta Legem Sapientiæ καθόλου πρῶτον adæquatè & reciproce diducantur, fiunt tandem regulæ sapientissimæ. Quæ enim justo, nec latiùs, nec angustius extenduntur, ea sapientissimè extensa meritò dicuntur. Hinc eorum etiam Sapientia.

81. Atque hic est usus harum Legum in omnibus & singulis disciplinis quoad omnia & singula præcepta essentialia, quæ, nisi eis congruant, vitiosa jure habentur.

82. Commorationes verò quod attinet, eæ quidem ex parte ab ipsis eximuntur, ast non nisi justis de causis, & pauciſſimæ sunt admittendæ.

83. Canones & regulas alii eximunt, & definitiones ac divisiones solas ad eas exigendas esse contendunt. At, ne repetam dicta, appellationem & finem Canonis aut regulæ tantùm considerent, ac quin manus dent non poterunt. Quomodo nomen regulæ rectæ ac quidem κατ' ἐξοχὴν merebitur, quod quodammodò curvum est, aut quomodo juxta id quod tale, absolutam alicujus rei rectitudinem examinem.

84. Si deniq; idea hæc, regulis cathodicis constans, methodicè, juxta Legem Prudentiæ seu Methodi, delineetur, Prudentia inde exurgit. Quæ Intelligentiæ, Scien-

Scientiæ, Sapientiæ adjuncta completam reddit Artem.

85. Atque hæc est genuina horum vulgò dictorum habituum natura ac scaturigo, ut videlicet, ceu ex dictis apparuit, in omni arte ita necessariò colligentur, quò eorum, qualicunque deficiente ipsa idea deficiat, & ad artis completionem justam non deveniat.

86. Quod diversum sentientes licet inscii & præter propositum, plerumque tamen justè & cum suppositò de omnib. illis ideis & disciplinis produnt, quas artes esse pernegant.

87. Qui autem alicui disciplinæ sive Scientiam, sive Sapientiam, sive Prudentiam, detrahunt, illi eatenus eam laude suâ spoliant, ut sive heterogenea, sive inadæquata, sive amethodica ejus præcepta tacite & per interpretationem dicant.

88. Sic fuit natura & essentia artis, divisio ejus sequitur. Quæ in Theoreticam & Practicam vulgo quidem recepta, ac multis modis vitiosa, ideoque repudianda est.

89. Est sine ulla vera differentia, ita ut unum ejus membrum alterû necessariò includat. Non enim est contemplatio, quæ non sit praxis, & habeat suum opus,

nec

nec actio in genere talis, quæ omnem contemplationem excludat.

90. Immo non est omnino ars, quam ipsi vocant Theoreticam, quæ suam non habeat praxin, ad quam in Theoria non acquiescens, ex natura sua tendet, nec ulla, quam vocant Practicam, quæ discatur sine Theoria, aut in cujus Theoria auditor ejus, postquam eam perdidicit, acquiescere non possit, si velit, ac sæpe etiam acquieverit.

91. De Matheſi in confesso est; de Metaphysica aliquando publice adversarios quoque habuimus confitentes, absque quo licet fuerit, de principâlissima ejus pârte doctrina scilicet; quæ agit de Deo, sic omnino concludendum est, eam vanam esse, & inutilem, nisi ad praxin dirigatur, immo talem quæ, Apostolo teste Rom. 1. 21. gravissime à Deo puniatur. De Physica tandem praxi quàm multorum opera testentur ante indigitatum est.

92. His accedit, quod omnibus bene pensitatis pars Philosophiæ practica ipsis propriè nulla sit. Quodcunque enim in Ethicis, Oeconomicis, Politicis reperitur Catholicæ Veritatis præceptum, id ad Theologiam proprie spectat, quam tamen à sua Philosophia, sic divisa, sive

ab artibus ſuis procul remotam volunt; de quo pluribus in progreſſu.

93. Quo tollitur ſimul ficta illa interpretatio vocis πρᾶξις pro actione virtuoſa, qua ad incitas redacti evadere ſemper ſatagunt. Cum nimirum nulla ſit actio virtuoſa, quam Theologia non doceat, in quocunque tandem ſubjecto ſive ipſa, ſive ſimulacrum ejus in aut extra Eccleſiam conſpiciatur.

94. Qui verò exemplo & auctoritate Ethnicor. excuſare ſeſe hic voluerint, eos accuſatos quiſque judicioſus meritò ſentiet. Quod enim illi in tenebris verſantes ſcintillas honeſtatis in ſe repertas, aut aliunde hauſtas variis doctrinis variè immiſcuerint, id non illis, ſed Imitatoribus eorum, ex Scripturis Spiritu S. cooperante rectiùs edoctis, vitio verti poteſt.

95. Subſtituenda ergò alia verior, quæ talis eſſe poteſt, quâ ars alia generalis, alia ſpecialis vocatur.

96. Cùm enim & objectum, & principia, & finis ejus talis ſit, ut patet ex dictis, ipſam talem eſſe quis dubitabit, qui ex objecto, principiis & fine dividendam eam novit? Quod hic præmonitum in ſubdiviſionibus ſequentibus repetendum.

97. Generalis iterum vel primaria, vel ſecun-

ſecundaria, aut vel magis, vel minus talis eſt.

98. Primaria vel magis talis eſt, Dialectica, à διαλέγεσθαι, fine ſuo, ſic vocata. Inventionem ſcilicet, & diſpoſitionem rationum præcisè ſumtarum adæquatè tradens. Categoriis equidem, at non aliis, quam quibus ſingula argumentorum paria veſtiuntur, genuine & ex naturâ ſuâ inſtructa. Fallaciarum verò appendicem omnino repudians.

99. Secundariæ & minus tales ſunt Grammatica, & Rhetorica.

100. Grammatica à γράφω Scribo dicitur Syneedochice, quia voce tam ſcriptâ quam prolatâ ad ſenſa animi prodenda uti conſuevimus.

101. Hæc ad Latinam linguam, quæ peregrinorum addiſcendorum prima eſt, vernaculo cujuſvis gentis idiomate tradenda. Ad reliquas vero in Latinum ſermonem, ſpecialibus & extraordinariis ſolis mutatis, transferenda. Varietas enim illa methodi, & definitionum etiam communium in ſingulis linguis multos multùm moratur.

102. Hujus præcepta, quia linguis, ut ſubjecto ſuo, aptanda, quæ pluribus irregularitatibus ſcatent, quia item ancillans tantum eſt cum ſociâ ſuâ, uſque adeo re-

gularia & Legibus artium reliquarum accommodata tradi nequeunt.

103. Rhetorica est à ῥέω, quod ab ἐρέω dico. In qua præcepta inventionis, & dispositionis heterogeneè repetuntur.

104. Hæ tres artes dicuntur generales, & illa quidem, magis, hæ minus, tales ob rationes actibus earum etiam sic dictis applicatas. Nempe, quia cum restantibus artibus sic concrescunt, ut eæ sine arte & actu differendi cognosci, sine actu & arte loquendi communicari, sine arte & actu dicendi ita commode communicari nequeant.

105. Restantes tres artes, sunt Matheſis, Physica, Theologia, in præcedentibus nullumplanè usum habentes nec cum iis concrescentes. Hinc specialiores.

106. Matheſis à μανθάνω disco, quod hanc præ reliquis pueri olim discebant, explorandæ eorum indolis & ingenii ergò.

107. Hujus vulgò partem aliam abstractam, aliam concretam constituunt. At omnib. bene penſitatis pars ejus concreta nulla est. Nam quicquid in eâ tradi solet, aut ad artem Physicam pertinet, aut ad nullam plane artem, sed ad hujus aut illius artis usum & facultatem; de quâ postea.

108. In

108. In Geometriâ tamen plerorumq; horum, quæ dicuntur cõcretæ Matheſeos, principia ſunt tradenda; inutiles demonſtrationes reſecandæ, & praxis præcipue ſpectanda.

109. Phyſica eſt à φύσις natura, quam totam omnis Entis naturalis, tam in genere, quam in ſpecie, ac ſic ipſorum etiam Spirituum, quoad catholicè poteſt, comprehendere & perſequi debet.

110. Theologia ἀπὸ τῶν λογων τῦ θεῦ eloquiis Dei dicitur, ut ex quibus ſingulariter ratione principiorum colligitur, unde & per doctrinam potius, quam per artem definitur.

111. Hæc ſola doctrinam (catholicam) 1. de Deo homogeneè tradit, non prout in ſe eſt, ſic enim a nemine, niſi à ſeipſo, cognoſcitur, ſed prout ſeſe clariùs in libro Scripturæ, obſcuriùs in libro naturæ nobis ad bene vivendum revelavit.

112. Qui verò diſtinctionem faciunt doctrinæ de Deo, quatenus naturali, aut ſupernaturali lumine poteſt cognoſci, eamque quatenus ſupernaturali, &c. ſolam ad Theol. pertinere volunt, illi theſi ſeptimâ adverſus Metaphyſicam abunde refutati ſunt, his ſummatim rationibus: 1. quod ſcientiæ realis differentia non poſſit eſſe modus, aut reſpectus rationis

in objecto, ſed neceſſariò aliquid reale, teſte Scoto in prologo ad diſt. 2. quod gradus cognitionis, qui per quatenus naturali lumini, &c. denotatur, non magis poſſit conſtituere ſpeciem doctrinæ diverſam, quam quatenus ab homine rudi, à puero, à parùm ſano aliquid cognoſci poteſt. 3. Lumine naturali aliter de Deo nihil cognoſci, quàm vel per effectus, vel per argumentationem ab uno attributo ad aliud, quod idem etiam fiat lumine ſupernaturali. 4. Revelationem, ſeu lumen naturale eſſe quidem cauſam efficiẽtem Theologiæ, ſed non rationem formalem eandem ſpecificantem, & ab aliis diſciplinis diſtinguentẽ. 5. Quicquid veri & certi de Deo lumine naturali cognoſcitur, id idem divinitus revelatũ, hoc eſt, lumine ſupernaturali cognoſci; atq; ideò, ſi id ſeorſim denuò tractetur, doctrinas ſaltẽ ſine neceſſitate multiplicari.

113. Hæc ſola doctrinam Catholicam 2. virtutum, ſeu honeſtatis, juris & æqui homogeneè tradit, dum ſola rotam Dei voluntatem, ad mores, voluntatem & vitam noſtram dirigendum, revelatam homogeneè exhibet, quæ ſola eſt illa ratio erecta, ſi abſoluta rectitudo ſpectetur, ut hîc ſpectanda eſt, in quâ ſolâ norma ac regula honeſtatis, juris & æqui, atque adeò

adeò virtutum, consensu sanorum omnium constituitur.

114. Oeconomicæ ergò & Politicæ utilitas & necessitas ad Iurisprudentiam, licet aliqua sit, præcipua tamen non est, sed Theologiæ. Hæc enim generales juris regulas, primaque principia & fundamenta omnia distinctissimè & perfectissimè suppeditat, illæ non nisi quædam eorum, usibus suis accommodata, eò secum devehunt.

115. Ethicæ verò utilitas & necessitas ad Iurisprudentiam planè nulla, cum nihil proprium contineat præter imperfectionem, reliquis omnibus ex Theologiâ mutuatis.

116. Non obstantibus Ethicorum prætextibus sic sæpe jam retextis, quorum præcipui sunt hi 1. *Beatitudinem civilem ac moralem à supernaturali & æterna distinguũt.* Cum tamen 1. ipsa supernaturalis & æterna beatitudo, respectu societatis civilis ac Politicæ, in quâ vivimus, considerata, civilis & moralis sit, 2. illa, quam dicunt civilem & moralem, supernaturali contradistinctam, non naturalis, hoc est, ex naturâ corruptâ proficiscens, sed supra eam, ex reliquiis naturæ integræ per divinam gratiam etiam in Ethnicis sapientioribus quodãmodo firmatis & auctis, fluens dici

meritò debeat. 3. proprium bonum beatitudo aut finis hominis non ſit multiplex. 4. non ſit vera virtus, quæ nõ ducat hominem ad ſuum finem & ſummum bonum. 2. *Objectũ ajunt Theologiæ interiorem hominẽ eſſe, & pietatem: Ethicæ mores externos & probitatem.* Cu tamen & hoc æquè ſit Theologiæ objectũ, quæ tam externam, quàm internam obedientiam præcipit, etiã Keckermanno fatente Canone 10. de fine Ethicæ in prægogn. Ethic: & hominem ad imaginem Dei reformandum non minus Ethica ſibi vendicet, præcepta virtutum præſcribendo, & à vitiis avocando, unde etiam prudentia regendi voluntatem & appetitum audire non detrectat. 3. *Virtutes Ethicas terminis hujus vitæ concludi, Theologicas ad futuram extendi addunt.* At ſi 1. propterea ſtatim aliquid ceſſaret eſſe Theologicum, quia terminis hujus vitæ concluditur, multa vere Theologica ceſſarent eſſe Theologica, ut prædicatio verbi, adminiſtratio Sacramentorum, &c. Deinde nunquam probare poterunt ullam virtutem in ſuâ eſſentiâ cum hâc vitâ ceſſaturam, licet in certis quibuſdam individuis ceſſatura ſint quarundam virtutum ſimulacra. 4. *Subjectum Ethicæ dicunt virũ probum, bonum & honeſtũ, Theologiæ religioſum ac pium.* Cui præter illud, quod ad rationem ſecundam dictum

ctum, huc etiam facit quoad priorem partem ipsi sibi alias respondent, quando docere Ethicam piè vivere affirmant. Quoad posteriorem ad Titum 2. 12. manifestè Paulus refert, Theologiam etiam temperanter & justè, h.e. probè & honestè vivere, docere. 6. *Quid interſit inter virtutes Ethicas & Theologicas (1.) Matth. 5. 20. nec non c. 6. ac 7 luculenter ostendi.* Vbi nihil aliud apparet, quàm quod pro fine virtutum nemo privatā utilitatem & gloriam, sed honestatem solam sibi proponere debeat. Quod idem Ethicos de suis virtutibus dicere, plus quàm notum est, ut qui libertatem, divitias, honores, sanitatem ab Ethico suo aliter spectari nolunt, quàm quatenus sunt adminiculum & instrumentum actiones virtutis cōmodiùs & faciliùs exercendi. Si verò hypocrisin & Pharisaismum, cujus præterea ibi fit mentio, Ethica tradat, quis, quæso, auditor ejus erit? *(2.) Ad Rom. 1. & 2.* ubi nihil Ethicum conspicitur, nisi fortè catalogum vitiorum sub finem primi capitis Ethicum dicere velint. At qua fronte? Scopus alias Apostoli illis binis capitibus est manifestū facere omnes homines esse transgressores legis divinæ, ac sic virtutum Theologicarum desertores.

117. Hæ sex artes totum hominem

perficiunt. Logicâ Intellectum; Theologiâ voluntatem; reliquis, Grammaticâ, Matheſi, Phyſicâ, Locomotivam ejus in διανοήσεις ſuis ad amuſſim dirigentibus.

118. His itaq; ſex artibus παιδείας ac artium κύκλῳ ſeu Encyclopædia perfectiſſime completur, & abſolvitur, non plures nec pauciores capiens. Quemadmodum id etiam, tum per remotionem earũ artium, quas alii includere ipſi fruſtra ſategerunt, tum per objectorum & Legum artium verarum ſufficientem enumerationem, & attributionem, quibuſcunque rectè conveniunt, manifeſtum fecimus, & in progreſſu faciemus.

119. Ac licet illorum quatuor præcognitorum, quæ præter undecim ſcientias, quinque prudentias, & ſeptem artes, Encyclopædiæ quidam intrudunt, nullam expreſſam introduxerimus mentionem. Ex dictis tamen palàm eſt, Archelogiam & Hexilogiam Technologiæ includi, ac ſic cum eâ circulo excludi. Didacticam verò ad totum circulum, nec non ad hanc ipſam Technologiam aut Technometriam, tanquam externum adjunctum ſe habere, & ſic ab ipſo circulo tanto longiùs removeri.

120. Inter illas ſex artes Theologia, Logica & Grammatica de primatu certant.

tant. Theologia dignitate omnes reliquas antecedit ; Logica generali neceſſitate. Pro noſtro tamen proficiendi modo Grammatica eiſdem primas partes præripit, dignitate aliàs, ut ante monuimus, ultima futura.

121. Omnibus illis artibus cùm nemo unus ex hominibus omni modo poſſit uti, hinc earum uſus atq; adeò utendi ab artificibus acquiſitæ facultates, in hoc vel illo vitæ generæ, circa hoc vel illud objectum, ad hunc vel illum finem utiles in humanâ vitâ, certæ ſunt. Quæ impropriè & metonymicè artes, abſolute & eminenter facultates ſolent appellari.

122. Hæ ex artificum ſuorum, nec non objecti & finis dignitate majori aut minori, in digniores, & minus dignas diſtinguuntur. Digniores iterùm in ſuperiores, & inferiorem, quatenus ſcilicet illæ hanc adhuc aliquo antecellũt modo.

123. Facultates ſuperiores ſunt Theologica, Eccleſiæ Chriſti colligendæ, & ædificandæ; Iuridica, juri dicundo & juſtitiæ adminiſtrandæ; Medica, ſanitati hominum tuendæ & reſtituendæ ãpta nata.

124. Huc pertinet Iuriſprudentia corpore Iuris concluſa, & quæcunque alia ſcripta Legum civilium. Ea enim præter con-

cõsuetudines & placita hominum ἄψυχα h. e. rationibus, quæ sunt vis & anima L. L. destituta, nihil aliud, quàm quorundam eximiorum Iurisperitorum facultatem in variis particularibus juris & æqui conclusionibus ex principiis Catholicis eruendis, h.e. Legibus specialib. constituendis, casibusque variis dijudicandis exercitam, recensent. Ipsa principia catholica non tradunt, licet quædam eorum ex Theologiâ, cui homogênea ea esse ostensum est, subinde per occasionem assumant. Vnde novam ac distinctam aliquam artem aut propriè dictam scientiam non constituunt.

125. *Ex quo intelligimus quam immeritò & indignè passim hodie Iurisconsulti, ne dicam prudentes appellentur, qui* solo Iuriscorpore contenti *in juris nrī principiis tā parùm sunt versati, ut ea ne supremis quidem labris degustasse, aut digitis attigisse videantur. Nam, si scire* L. L. *non est verba eorum tenere sed vim ac potestatem, ut Celsus dicebat in l scire leges 16. D. legibus, quis posset dicere se vim ac potestatem tenere Legis, cujus ignoret rationem? Aut quænam Iuris ratio esse potest, quæ non ex juris principiis pendeat?* Sunt verba Antonii Fabri ICti celeberrimi, non hîc tantùm, sed in sequentibus etiam meritò applicanda mutatis mutandis.

126. Huc pertinet Medicina seu scripta Medica

Medica qualiacunque, facultatem eximiorum Medicorum in particularibus concluſionibus Medicis ex principiis catholicis eruendis, hoc eſt; experimentis practicis faciendis, pharmacis variis præſcribendis exercitam, recenſentia; ipſa verò principia medendi catholica non tradentia, ſed pro occaſione datâ ex arte Phyſicâ (in ſuo eſſe completo, non exiſtere defectivo, conſiderata) repetentia. Atque adeò nullam novam ac diſtinctam artem conſtituentia.

127. Facultas inferior dicitur Philoſophica, quia eſt τῶν τ σοφίας φίλων, hoc eſt, eorum, qui ad ipſam Sophiam, quæ propriè eſt facultatum ſuperiorum, nondum pervenerunt, ſed pervenire amant, atque idcircò hac inferiore facultate ac acquiſitâ viam quaſi ſibi ſternunt.

128. Hujus numerãtur ſeptem quaſi partes, aut partiales facultates; Oratoria, ſub quâ Poetica qualiſcunque; Coſmographia, in qua Aſtronomia, & Geographia ſeu utriuſque globi uſus; Optica; Muſica; Architectonica; Oeconomica, Politica.

129. Huc ergò pertinent Syſtemata illa Oratoria, Poetica, Coſmographica, Aſtronomica, Geographica, Optica, Muſica, Architectonica, Oeconomica, Politica, facultatem eximiorum Philoſopho-

phorum in particularibus cõclusionibus Philosophicis, hoc est, Oratoriis, Poeticis, Cosmographicis, &c. accommodatione præceptorum artium catholicorũ, eruendis exercitam, recensentia. Non nova præcepta catholica tradentia in artibus non tradita aut saltem non tradenda, sed ea subinde pro occasionis ratione ex artibus repetentia. Ac propterea nullas novas distinctasque artes, aut proprie dictas scientias constituentia.

130. Lectio nihilominùs, & cognitio eorum non parùm conducit, tum ad Philosophicam, tum ad superiores facultates faciliùs & rectiùs acquirendas. Inprimis verò ad Iurisprudentiã Geographicæ, Architectonicæ, Oeconomicæ & Politicæ cognitionis, quamvis non præcipua, magna tamẽ utilitas & necessitas est, id quod nec in præcedentibus negare voluimus.

131. Facultates minus dignæ sunt variæ, nimirum, præter quatuor illas modò memoratas, omnes reliquæ ab hominibus honestè & acquisitæ & exercitæ. Nulla siquidem harum ordinariè artificem suum in tanto, quanto illæ, dignitatis fastigio collocat, experientiâ teste.

132. Quamvis autem hæ facultates, eo, quem diximus, respectu minus dignæ, aliisque respectibus sordidæ, quæstuosæ illi-

illiberales, mechanicæ, manuales, &, eminenter, effectrices vocentur, quatenus scilicet pleræq; earum communiter sordidi quæstus causa ab artificib. suis quodam quasi illiberali, & servili modo acquirumtur, (unde esse potest, quod apud veteres servis & peregrinis propriæ sint habitæ, ut Zabarella & alii annotant) ac in machinis manu potiùs quam ingenio efficiundis exercentur. In se tamen non ulla earum ingenio ac libero homine indigna esse, multò minùs cuiquam sordere debet, aut cujusquam corpus animumque & mentem ad usus & actiones virtutis inutilem reddere potest.

133. Sunt enim artium Matheseos scilicet, & ferè omnes, Physicæ, paucæ, Grammaticæ effecta, ita ut ipsis, quà talibus, nihil imputari queat, quod non eadem ratione ad artes ipsas, causas earum, derivetur. De artibus verò talia qui prædicat, certè in prædicamento est absurdissimi hominis.

134. Immò contradictorium hoc est, quod aliquid ad opera societatis, tam publicæ quam privatæ, promovenda maximè necessarium sit, & corpus animumq; & mentem ad actiones virtutis inutilem reddat. Quandoquidem hoc tale peccatū aut peccati fomes est, ac idcircò neutiquam

tiquam poteſt eſſe vere utile aut neceſſarium. Vel ergò minus æqui harum facultatum æſtimatores ipſis ignominiæ illam maculam, vel neceſſitatem abſtergant & utilitatem. Poſterius verò cum neque auſint, neque valeant, prius ergò.

135. Sed Phyſicæ & Grammaticæ effecta ſunt facultates hæ, non eatenus tantum, quatenus hanc illamve, ut ideam & exemplar ſuum, imitantur, operâ Matheſeos, quò minus imitando aberrent, numerum, menſuram & pondus, id eſt, proportionem partium juſtam; in qua eſſe formæ eſt, examinantes. Sed etiam quatenus materiam operum ſuorum, & objectũ exercitii ſui principale ab alterutra earum mutuantur, ideo ſecundum eas commodiſſime diſtinguenda.

136. Sunt itaque facultates ſeu artes mechanicæ aliæ Grammaticæ, circa res grammaticas; aliæ Phyſicæ, circa res phyſicas verſantes.

137. Circa res grammaticas, verſantes ſunt circa literas figuris vel conſuetis eleganter ſeu calamo, ſeu typo; vel inſuetis ſeu properè & compendiosè, ſeu tectè & occultè exprimendas.

138. Circa literas conſuetis figuris eleganter calamo exprimendas eſt Calligraphia. Ad quam ſimul referendæ facultates Scri-

Scribarum varii generis, Exceptorum, Amanuenſium & ſimilium, tanquam certæ quædam ejus propagines.

139. Circa eaſdem iiſdem figuris exprimendas typo, eſt Typographia. Ex qua oritur Libraria, typis deſcripta aut compingens, quod Bibliopegorum; aut recondita ſuis thecis ſervans, quod Bibliothecariorum.

140. Circa literas, inſuetis figuris properè & compendiosè exprimendas eſt Brachygraphia, novos & ſcriptu faciles characteres pro literis, tum ſingulis ſeparatim; tum pluribus, voces crebrò ſeu terminantibus, ſeu integrantibus, conjunctim; confingens, confictiſque utens.

141. Circa literas inſuetis figuris occultè & tectè exprimendas eſt Ars, ciphrarum quam vocant, qua duo pluresve ex compacto clam inter ſe ſcriptis ea communicant, quæ nulli alii lecta volunt. Quanquam hoc ipſum figuris etiam conſuetis præſtari poteſt, ad eum, quem Baro Verulamius lib. 6. cap. 1. de dignitate & augmentis ſcientiarum exponit modum.

142. Omnibus hiſce facultatibus Grammaticis ſubordinatur & inſervit Chartopœia & Pergamenopœia, cartas & membranas, quibus hodiè literæ inſcribuntur, eis præparans.

143. Circa

143. Circa Physicas materias sunt circa vel elementa, Ignem, Aerem, Aquam, Terram; vel Elementata, Et utrinqué iterum vel circa ea ipsa, vel circa eorum qualitates.

144. Circa Ignem sunt circa eum artificiosè eliciendum, figendum, conservandum, projiciendum, aliâs commode communicandum, &c. Quo pertinent omnes illæ artes bellicæ bombardarum, pulveris tormentarii, pyrobolidum, quatenus aliquo horum aliove modo circa ignem occupantur. Item artes luminũ artificialium; necnon hypocaustorum, furnorum & similium igni cõservando conmodéq; communicando inservientium.

145. Circa aerem sunt circa eum concitandum, placandum, inficiendum, purgandum, & follibus spirandum.

146. Circa Aquam sunt, circa eam in suis repagulis per aggeres extructos continendam; ex loco in locum derivandam, sursum agendam; innandam; ad tempus quasi inhabitandam, quod est urinatorum; navigandam, unde ars nautica, quæ, quatenus velis ventos colligit, etiam circa aerem occupata est.

147. Circa Terrã sunt circa eam arandam, occandã, fodiendam, aut aliis modis præparandã. In quibus est pars quædam agri-

agriculturæ & Horticulturæ, facul. ſc. aratoris, occatoris, foſſoris, paſtinatoris, &c.

148. Circa elementorum qualitates ſunt circa eas vel primas, facultas calefaciendi, frigefaciendi, ſiccandi, humectandi; vel ſecundas, ſolidandi, liquefaciendi, attenuandi, condenſandi, rarefaciendi.

149. Circa qualitates elementatorum ſunt circa Colorem fac. Pictoria, Tinctoria; Sonum, Muſica inſtrumentalis, quæ, pro inſtrumentorum varietate, varia, nimirum Chelyi, Pſaltrii, Organyſtæ, Lyricinis, Buccinatoris, Liticinis, Tubicinis, Citharædi, Panduri, Nablicinis, Tibicinis, Tympaniſtæ, Cornicinis, Vrticularii, &c. Saporem, Culinaria, præcipuè verò Cupedinaria, Odorem, facult. ſuffiendi, & Coronaria, quatenus herbas ad fragrantiam compingit.

150. Circa elementata ipſa ſunt circa vel inanimata, Lapides, Metalla, Mineralia mediæ naturæ; vel animata.

151. Circa lapides ſunt circa eos vel pretioſos, facultas Gemmarii, Quadrigarii, Cœlatoris gemm. vel viliores, tum naturales fodiendos, liquefaciendos & inſtar æris fundendos, dolandos, cœlandos; quæ duo poſtrema ſunt Lapicidæ & Cœlatoris; tum coctiles fac. Lateraria & conſequenter Calciaria, Muraria.

152. Cir-

152. Circa metalla ſunt circa ea tam in genere fodienda, lavanda, exploranda, diſcernenda, excoquenda, polienda, quæ ſunt Metallariorũ in fodinis laborantium, quàm in ſpecie circa aurum, argentum, æs, ferrum, cuprum, ſtannum, plumbum.

153. Circa aurum & argentum ſunt Bractearia; Aurifabrilis, in qua Inauratoria, Cœlatoria, Annularia; Monetaria.

154. Circa æs ſunt fuſoria æramentorum, campanarum, tormentorum, &c.

155. Circa ferrum eſt ferrifabrilis qualiſcunque, Clauſtrarii, Machæropoei. Calcarificis, Loricarii, Armamentarii, Cultrarii, Falcificis, &c.

156. Circa cuprum eſt Cuprifabrilis; Stannum, Stannaria; Plumbum, plumbaria.

157. Circa mineralia mediæ naturæ ſunt circa Salem excoquendum, præparandum, Salaria; argillam, Figulina; Vitrum, Vitraria.

158. Circa animata ſunt circa vel plantas, vel animalia. Et circa hæc vel rationalia, homines ſcilicet, vel bruta.

159. Circa plantas ſunt circa Herbas primò Hortulani & Herbarii, tum Aromatarii, & aliqua ratione etiam coqui & coronarii. Fruges ſeminandas & in ſpica curandas, Agricultura; metendas, Meſſoria,

ria; colligẽdas, Colligatoria; Triturandas, Trituratoria; ſubigendas, Molitoria, Piſtoria, Cereviſiaria. Vites, fac. Vinitoris. Putatoris, Pampinatoris, Vindemiatoris, Torculatoris, Arbores fac. Frondatoris, Inſitoris, Pomarii quoad fructus, & omnis generis Lignifabrilis, Arcularii, Naupegi, Tornatoris, Vietoris, Carpentarii, Statuarii, Arcuarii, Carbonarii, quoad lignum. Plantis annumeratur etiam cannabis & linum; huc ergò pertinent quævis circa illam hocve occupationes, nimirum, Reſtiaria, Linearia & ſimiles.

160. Circa animalia bruta ſunt circa ea vel aeria, aves; vel aquatica, piſces; vel terreſtria, pecudes, feras.

161. Circa oves ſunt circa eas capiendas fac. Aucupum varii generis, Anatarii, Colũbarii; Servandas, condocefaciendas.

162. Circa piſces eſt facultas piſcandi fundis, ſagenis, tragulis, naſſis, ſportis, excipulis, hamis aliiſque inſtrumentis, quæ uno nomine dicitur Piſcatoria; ſervandi item in Piſcinis aut vivariis.

163. Circa pecudes ſunt circa eas vel paſcendãs fac. Bubulci, Subulci, Opilionis, Caprarii; vel ſaginandas, quà altilia fac. Saginatoris, & mactandas fac. Lanionis, vel aliis uſibus applicandas quà jumenta Quo pertinent fac. Equiſonis, Agaſonis.

Mulio

Mulionis, Aurigæ, eorumque, qui his quasi subserviunt, ut jumenta, vel necessariis instruant, Ephippiarii, Scytotomi, Clitellarii, qui ipsi Cerdones habent sibi subservientes; vel morbida curent, Veterinarii, &c,

164. Circa feras canibus, plagis, tendiculis, sepimentis capiendas inq; vivariis servandas est facultas Venatoris.

165. Circa hominem sunt circa corpus ejus vel vestiendum quoad caput, fac. Pileonis; manus, Chirothecaria; pedes, Sutoria tam Calcearia, quam Crepidaria, cui cerdo etiam coria subministrat; quoad reliquum corpus Pellionum, qui in locis quibusdam etiam caput & manus hominum vestiunt, Sartoris, eorumque omnium qui materias ei præparant, ut Sericariorum, Globulariorum, Lanificum qualiumcunque, Discretoriorum, Concretoriorum s. Textorum, Fullonum & aliorum hujus generis: vel ad agilitatem exercendum, Luctatoria, Pugilatoria, fac. Currendi, Pilaria &c. vel sanandum, Chirurgica, Latomi, Unguentarii, quæ cum Pharmaceuticâ, huc etiam præcipuè pertinente, sunt Medicinæ subministræ; vel purgandum, Balneatoria, Barbitonsoria.

166. Hæ sunt pleræque saltem, si non omnes

omnes facultates, quas homines ex artibus ſuo modo (alii videlicet cognitis & applicatis artium præceptis, alii traditione ſcriptâ, alii traditione per manus artificum) ſibi acquirunt.

167. Verùm, ne quis inaniter aliquâ harum pollentem, ſe dicere, multumque ſæpe nocere poſſit, cum prodeſſe debet, prudenter conſtitutum eſt, ut præcipuarum facultatum Candidatos quidam in eis eximii probent, approbent, & approbatos teſtimonio ſuo ornent.

168. Hinc gradus illi Academici. Nimirum, qui facultate Philoſophicâ, examine & tentamine prævio excellens repertus eſt, Artium liberalium Magiſter, aut Philoſophiæ Doctor; qui Medicâ, Doctor Medicinæ; qui Iuridicâ, Doctor Iuriſprudentiæ; qui Theologicâ, Theologiæ Doctor ab ejuſdem facultatis Doctoribus in Academiâ aliquâ præſidentibus, ſolemniter renunciatur, atque illam facultatem ubiq; locorum occaſione datâ exercendi plena poteſtate ab ejuſdem Academiæ ſupremo Magiſtratu donatur.

169. Hinc tyronicium *meiſterſtuck* ſingulis Germaniæ opificibus faciendum, qui in privilegiato aliquo opificio liberè verſari, nec à tribulibus ejus opificii multari & impediri volunt.

FINIS.

DISSERTATIO ISTA EXPOSVIT ARTIS